Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26398
Copyright: Admont, Benediktinerstift



dei in qua habitauit filius dei. Montes eius sunt prophete qui
de ea predixerunt. sed apostoli qui de ea predicauerunt. Que vero per spiritum
de christo sentiat. his uerbis pronunciat. In lectulo meo
.i. in requie mee contemplationis. per noctem .i. in hac uita.
quesiui intelligere diuinitatem christi. quem diligit anima mea.
Quesiui illum in deitate cognoscere. & non inueni .i. non potui
ad eius altitudinem pertingere. Et dixi. Surgam corde ad
celestia. & mente circuibo ciuitatem .i. angelorum agmi
na. per uicos & plateas .i. per angelos & archangelos queram
xpm quem diligit anima mea. Quesiui illum inter ordines
angelorum. & non inueni similem illi ullum illorum. Inuenerunt
me uigiles .i. angeli qui custodiunt ciuitatem .i. ecclesiam.
Non est dubitandum. quin crebro angeli habuerint cum sacra
uirgine colloquium. Et interrogaui eos. Num quem diligit
anima mea uidistis. .i. dicite si saltem uos xpi diuini
tatem intelligatis. Qui dixerunt. Paululum. Quamquam enim
angeli de deo intelligant multum. tamen ad comparatio
nem ipsius ueritatis uidetur paululum. Nullus enim angelorum
ita deum intelligit. ut ipse se cognoscit. Nam nemo no
uit patrem nisi filius. nec filium nisi pater. & cui uoluerit filius
reuelare. quod creditur mater fecisse. Cum pertransissem eos .i. cum
eorum naturam contemplando transcenderem. inueni quem diligit
anima mea. omnem intellectum angelorum longe excellere.
Tenui eum pater equalem credendo. nec dimittam eum dili
gendo. donec introducam illum uerbo & exemplo in